

Actionis Catholicae Fundamentum Scripturisticum

By HIS LORDSHIP MGR PROF. E. GALEA,
B.LITT., J.C.D., D.D.

“Simile est regnum caelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo : quod minimum quidem est omnibus seminibus : cum autem creverit, maius est omnibus hoieribus et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius” (Mat. 13, 31-32).

Hac similitudine usus est Christus Dominus ad illustrandam originem quidem humilem, evolutionem autem maximam atque miram praedicationis evangelicae et Ecclesiae quam constituturus erat. Haec enim, quasi semen quod arborem futuram in se latentia continet iam ab ipsa origine in se virtualiter habebat elementa ilius amplissimae gloriae, quam decurrentibus deinde saeculis consecuta est. At facile eadem similitudo extendi potest ad singula instituta quae in ipsa Ecclesia vigent, quae, etsi sero in Ecclesiae historia apparere videantur, tamen, si rem diligentius inspexerimus, conspiciemus ea iam in ipsi Christi praedicatione radicem habere.

Iamvero inter omnes constat Actionem Catholicam his nostris temporibus quam maximam evolutionem accepisse ac in dies magis magisque evolvi. Hinc iure meritoque quaerendum est utrum res sit omnino nova et saeculis antea actis prorsus ignota, an potius, velut semen quoddam, inveniatur iam in ipsis Novi Testamenti revelationis fontibus.

Responsum affirmativum pro hac altera parte tamquam argumentum vobis brevisse exponendum assumpsi; sed cum revelationis fontes, ut ipsi probe scitis, duae sint, ne quemquam vestrum longioris tractationis taedio afficiam, inquisitionem meam ad solum verbum Dei scriptum restringam; nec omnes vel multos textos, qui ad rem faciunt, allaturus sum, sed unum vel alterum, qui rem clare et sufficienter demonstrare mihi videntur.

Res tranctanda, ut arbitror, magni momenti est : primum quidem quia si nondum, ut par est, Actio Catholica ab omnibus in honore, qui sibi debetur, habeatur, id ex hoc praecipue prove-

lit, quod non omnes satis perspectam habent eius connexionem intimam cum principiis dogmaticis quae ad ipsam Ecclesiae constitutionem pertinent; deinde vero quia dubium non est quin multi vestrum si non omnes, futuri sint Actionis Catholice Assistentes Ecclesiastici, et ideo curandum est ut accuratorem et profundiorum huiusmodi instituti scientiam habeatis.

Quibus rebus praemissis, antequam thesim aggrediar, praestat breviter explicare atque perpendere quoniam sint elementa quae Actionem Catholicam constituent, quia de his praecipue agitur, cum nemo eius nomen et hodiernam formam in Evangelio invenire contendat.

Iuxta definitionem, quam classicam vocant, a Pio Papa XI datam, et ab ipso vel ab aliis postea fusius explicata, Actio Catholica est participatio, vel, iuxta alios, conlaboratio, laicorum ad Ecclesiae apostolatum hierarchicum. Quae definitio tria elementa nobis exhibet. Si enim rem in se ipsa inspicimus, Actio Catholica est apostolatus quidam, studet non solum adscriptorum sed etiam aliorum sanctitati et perfectioni. Si inquirimus de subiecto hujus apostolatus, Actio Catholica nobis exhibetur ut opus a laicis praestandum. Si tandem ad modum attendimus quo hic laicorum apostolatus exercetur, Actio Catholica apparet nobis tamquam aliquid subsidiarium et auxiliare, dependens ab iis qui legitime Ecclesiae praesunt; absit enim ut Actio Catholica quidquam commune habeat cum laicismo damnando et pluries ab Ecclesia damnato.

Iamvero nobis non est quaerendum in Evangelio utrum apostolatus debeat esse in Ecclesia, apostolatus est enim anima Ecclesiae, quia etsi Christus ipse eam fundavit, tamen illam **dilatare voluit et ad orbis terrae fines extendi** opera hominum, quibus "Euntes", inquit, "in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae" (Marc. 16, 15). Nec quidquam quaerendum est de tertio Actionis Catholicae elemento, scilicet de dependentia laicorum; nam ex revelatione clarissime patet omnem potestatem in Ecclesia in Apostolis eorumque successoribus positam esse, quos "Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei" (Act. 20, 38), et praesertim in beato Petro eiusque successoribus, quibus totum suam gregem Christus credidit pacendum. Unde quicumque in Ecclesia ullam habet potestatem vel quidquam agere valet, oportet ut semper dependeat a hierarchia divinitus constituta.

Ergo, ut quisque sibi persuadeat Actionis Catholicae institutum in Scripturis Novi Testamenti radicem habere, ii praesertim loci adducendi sunt ex quibus constet iuxta verbum Dei laicos posse et debere apostolatium aliquem exercere, quod est alterum ex tribus quae enumeravimus elementum, quamvis et alia duo facile inde constare possint.

Quo tandem res clarius pateat, duo argumentorum genera attingam: alterum quod doctrinale, alterum vero quod historicum appellari potest.

Quae cum ita sint, audiamus ante omnia verba ipsius Magistri Divini. Qui apud Matthaeum (18, 15-17) sic loquitur: "Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos... Quod si non audierit eos, dic ecclesiae. Si autem ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus et publicanus".

In hoc textu omnia elementa quae Actionem Catholicam constituunt continentur. Quaerimus primum cur frater corripiendus sit. Ad quod ita S. Augustinus respondit: "Si amore tui id facis, nihil facis: si amore illius facis, optime facis. Denique in ipsis verbis attende, cuius amore id facere debeas, utrum tui an illius. Si te audierit, inquit, lucratus es fratrem tuum. Ergo propter illum fac, ut lucreris illum". (Ser. 16 de verb. Dni. tom. 10 p. init.). His verbis itaque obligationem Christus imponit curandi aliorum salutem, quod maxime est apostolatus opus.

Quaeramus ulterius cuinam haec obligatio imponatur. Nullo dubio imponitur non Apostolis sed laicis, secus enim non adderet Christus: Dic ecclesiae, quia ipsi Apostoli sunt ecclesia. Unde etiam Theologi qui de re morali agunt ex hoc loco demonstrant generale praeceptum de correctione fraterna, praeunte S. Thoma, qui ita docet: "talis correctio pertinet ad quemlibet caritatem habentem, sive sit subditus, sinve praelatus" (2. 2. q. 33, a. 3).

Sequitur denique tertium elementum scilicet auxilium Ecclesiae Praepositis ferendum. Nam, frustra adhibitis remediis opportunis, Ecclesia potest usque adeo auctoritatem suam interponere ut delinquentem excommunicationis sententia plectat, quod certo locum habere non potest nisi agatur de re gravi quam magnopere ipsorum Praepositorum interest scire. Ergo qui talem delinquentem denuntiat, auxilium validum iis qui praesunt affert, ut possint "eos qui contradicunt arguere" (Tit. 1. 9).

Quam vero Domino cordi sit hoc auxilium a fidelibus praestandum videre licet ex alio textu quo praemia a Christo Domino promittuntur sic facientibus. Sic enim scriptum legimus apud Matthaeum (10, 41): "Qui recipit prophetam in nomine prophetae mercedem prophetae accipiet; et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet... Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam". Qui sint autem isti minimi de quibus loquitur Christus satis apparet ex loco parallelo apud Marcum (9, 40) ubi Apostolos alloquens dicit: "Quisquis potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis non perdet mercedem suam".

His in locis Dominus loquitur, uti fere semper, de re particulari, de receptione suorum apostolorum, de potu eis dando, sed certe sensus est generalis et facile hoc modo verti potest: "Qui Apostolos meos adiuverint in eorum apostolatus opere, mercedem a me satis ampliam accipient".

Quam aliam, haec validiorem, exhortationem expectabimus pro promovenda Actione Catholica?

Magistri verbis auditis, aures nunc praebeamus eius discipulis et, ne longior fiat oratio, audiamus tantum duos principes apostolorum.

Petrus scribens electis advenis dispersionis Ponti, Galatae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae, id est non Pastoribus tantum sed omnibus fidelibus, eosque ad intimam unionem habendam cum Christo exhortans, haec dicit: "Ad quem accedentes lapidem vivum... et ipsi tamquam lapides vivi supraedificamini, domus spiritualis sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias... Vos autem genus electum, regale sacerdotium... ut virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum". (Ep. I, 2, 4 sqq.).

Hunc locum, ad Actionis Catholicae opus illustrandum Pius Papa XI adhibuit in sua epistola encyclica "Ubi arcano Dei" diei 23 Decembris 1922, dicens: "Illud porro in Christifidelium mentes revocate, quod cum ij, vobis cleroque vestro auctoribus, in provehenda Christi cognitione et amore publice et privatim inculcando navant operam, tum demum maxime digni sunt qui salutentur *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*".

Iure autem meritoque sic loquitur Summus Pontifex, nam circa hunc textum duo pro certissimis habenda sunt: alterum est id quod haec verba non significant "omnes christianos promiscue Novi Testamenti sacerdotes esse aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos esse", ut habetur in Concilii Tridentini Sess. 23, cap. 4; alterum vero est quos iisdem verbis asseritur omnes in Christo baptizatos habere aliquod sacerdotium sensu lato et metaphorico sumptum, ut omnes concedunt.

Nobis autem demonstrandum est tale sacerdotium includere apostolatam quemdam. Quod patet, ante omnia, ex ipso verbo; nam vocabulum "sacerdos", ex quacumque radice originem sumere dicitur, semper quasi sibi insitam secumfert notionem ministerii cuiusdam non quidem pro se sed pro aliis suscepti. Deinde quale sit hoc sacerdotium laicis tribuendum clarius indicatur ipsis Apostoli verbis. Nam ipse fideles appellat "lapides vivos" eodem modo, quamvis non eodem gradu, quo "lapidem vivum" Christum ipsum appellaverat. Iamvero ubi vita est, ibi est actio. Quasnam actiones laicis praestandis proponit Apostolus? Duas praecipue: dicit primum eos debere offerre salutaris hostias, "quo in genere" ait Catechismus Conc. Trid. (De Sac. Ord. n. 23) "bonae omnes et honestae actiones, quae ad Dei gloriam referunt, memorandae sunt". Cum autem haec omnia ad Deum referantur per elevationem mentis ad ipsum, inter spirituales hostias locum primum obtinent orationes. Aliunde autem novimus orationes fidelium habere rationem sacrificii, ut dicitur in Apocalypsi (8, 3): "Et alius Angelus venit et stetit ante altare habens thuribulum aureum: et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum". Ergo fideles omnes debent offerre Deo orationes pro aliis.

Addit praeterea Apostolus fideles debere annuntiare virtutes Dei, id est debent enarrare omnibus sapientiam, bonitatem, potentiam aliaque divina attributa quae tam mirum in modum in opere humanae redemptionis emicuerunt. Ex hoc fideles singuli sibi dictum esse existimare debent illud quod scriptum legitur apud Lucam (8, 39): "Redi in domum tuam et narra quanta tibi fecit Deus". Et singuli pariter sibi faciendum esse existimare debent quod ibidem legitur: "Et abiit per universam civitatem, praedicans quanta illi fecisset Jesus".

Cum autem Petrus fidelibus omnibus ut vidimus orationem et praedicationem commendat, nonne opus maxime apostolicum commendat? Ipsi enim Apostoli, in prima diaconorum institutione, munus suum distincte designare volentes, haec duo sibi propria tribuerunt dicentes: "Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus" (Act. 6, 4).

Ex S. Paulo, demum, altero Apostolorum principe, argumentum pro Actione Catholica sumimus ex doctrina de Christi Corpore Mystico, quam ipse ex divino ore Jesu Christi haustam prae aliis evoluit.

Expositionem generalem huius doctrinae sumere possumus ex eius Ep. ad Rom. (12, 4-5): "Sicut ...in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra".

Omnia haec membra sunt sibi invicem utilia, addit enim: "Non potest oculus dicere manui: Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii" (1. Cor. 12, 21). Ergo singula membra possunt studere aliorum saluti; quin etiam, quod nostra magis interest, hoc facere debent et ideo docet Apostolus: "Deus temperavit corpus... ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra" (1 Cor. 12, 25).

Ne quis autem possit obicere hanc doctrinam, statuendo pari fere modo pro omnibus apostolatus obligationem, delere distinctionem, quam ex iure divino admittimus, inter clericos et laicos, Apostolus ipse respondit haec opera in bonum totius corporis a singulis paestari non aequali modo sed pro rata uniuscuiusque. En eius verba: "Veritatem... facientes in caritate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, *secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri*, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate". (Ephes. 4, 15-16).

Huic argumento vis additur si in mentem revocatur distinctio, quae inter corpus morale et corpus mysticum intercedit, quamque clare tradit Pius Papa XII in Litteris Encyclicis "Mystici Corporis" (in parte V) diei 29 iunii 1943. Dum enim in corpore morali unitas habetur tantum per simplicem omnium membrorum conspirationem in eundem finem, in corpore mysti-

co huic membrorum conspirationi adiungitur principium in universa compage et in singulis eius partibus reapse existens, quod principium est Divinus Spiritus, qui, ut ait Angelicus, unus et idem numero, totam Ecclesiam replet et unit. Quamobrem in Ecclesia non solum qui sunt membra nobiliora, id est qui pertinent ad sacram hierarchiam, sed etiam infima membra, id est laici, quando ut membra Christi apostolatam de quo loquimur exercent, hoc faciunt ex quadam fere consecratione, quae in Baptismate quidem recipitur in Confirmatione autem perficitur et completur.

Haec satis sint de argumento quod doctrinale vocavimus : nunc aliquid addendum est de altero argumento quod historicum diximus, laicorum participationem ad apostolatam confirmando exemplis allatis ex modo agendi tum ipsius Domini tum ejus Apostolorum. Hic breviores erimus, cum omnes libelli quae de Actione Catholica agunt, satis de hac re loquuntur.

Ad Christum quod attinet in mentem revocemus illa verba : "Messis quidem multa, operarii autem pauci : rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam (Luc. 10, 2). His verbis explicite omnes hortatur ad precem apostolicam et declarat orationem omnium fidelium partem magnam habere debere in propagatione Evangelii.

Praeter orationem, saepe ab Actionis Catholicae membris requiritur ut iactura sua seu sacrificio proprio aliorum saluti studeant; quod quanti faciat Dominus, videmus in sanatione paralytici, quem viri quidam, non sine magno labore, per tegulas sum miserunt. Hoc loco Evangelium dicit (Luc. 5, 18) : "quorum fidem ut vidit, dixit : Homo, remittuntur tibi peccata tua". Quod admirans Ambrosius (Lib. 5 in c. 5 Lucae) exclamat : "Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis; et dum alios probat, aliis relaxat errata".

De auxilio a laicis praestando in praedicatione verbi Dei, mirum documentum nobis ipse Christus dedit in sua gloriosa resurrectione. Cum enim facile posset Apostolis apparere et suam triumphum ipse eis nuntiare, maluit tamen vivum se Mariae Magdalenae praebere eique munus committere praedicandi ipsis Apostolis mysterium hoc, quod merito pro praecipuo habetur inter mysteria nostrae Religionis.

Opus tandem quod non raro ab Actione Catholica exigitur est auxilium quoddam materiale Apostolis exhibendum. De hac re in vita Jesu Christi exemplum habemus apud Lucam (8, 1) : "Et

factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates et castella praedicans et evangelizans regnum Dei : et duodecim cum illo, et mulieres aliquae..... et aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis". Circa quem locum sacri commentatores animadverunt apud Haebreos sane mulieres Rabbini necessaria suppeditare solitas esse, sequi autem eos numquam. Unde mirum est quod Jesus pias mulieres sinit ipsum sequi ac cooperari in Evangelio diffundendo. (Cfr. Sales : La S. Bibbia in h. 1).

Quis fortasse quaerat quamnam probationis vim haec omnia facta habere possint. Respondeo Gregorii verbis : "Dominus et Salvator noster aliquando nos sermonibus, aliquando vero operibus admonet. Ipsa etenim facta eius praecepta sunt; quia dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit" (Hom. 17 in Evang.).

Ad Apostolorum tempora tandem vertamus oculos. Tunc exempla multiplicantur quae facile legi possunt tum in Actis Apostolorum tum in eorum Epistolis. Haec itaque exempla praetermitto; sed duo facta mihi omittenda non videntur.

Loquor ante omnia de existentia charismatum primis Ecclesiae decenniis. Charismata seu dona, ut scitis, sunt gratiae, quas Theologi vocant gratis datas, quaeque conceduntur non ad privatam utilitatem sed potius ad commune Ecclesiae bonum. Apostolorum temporibus frequenter et passim dabantur, et Apostolus, scribens ad Romanos (12, 6) et ad Chorintios (I. Cor. 12, 8) plura enumerat. Circa haec charismata hoc notandum est pro re nostra, quod a Spiritu Sancto non tantum Apostolis sed etiam laicis dabantur, qui laici mirum in modum eis utebantur in propagatione Evangelii. Ex quo clare apparet laicos a Deo non impediri, quin etiam animum accipere ad annunciandam doctrinam Filii ipsius et eius regnum propagandum. Quod si quis obiciat nunc haec charismata amplius non dari, vel melius rariora esse, respondeo id quod dicitur de miraculis, scilicet quod tunc erant necessaria, quia, ut ait quemadmodum Gregorius, "ut ad fidem cresceret multitudo credentium miraculis fuerat nutrienda" (Hom. 29 in Ev.). Sed addimus praeterea diminutione donorum, quae extraordinaria sunt, non destrui factum historicum, quod scilicet. Deum uti voluit laicorum opera ad ipsos Apostolos adiuvandos.

Alterum quod me dicturum promisi circa Apostolorum tempora est locus desumptus ex Epistola prima ad Timotheum (5, 9) : "Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius

viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est etc.”.

Hic locus agit non de viduis in genere, sed de quodam genere viduarum, etsi interpretes non conveniunt circa earum munera. Quidam enita putant hunc textum loqui simpliciter de Diaconissis, alii vero de viduis quae inter diaconissas non computabantur sed officio similes eis erant; alii demum existimant rem esse de viduis quae in catalogum referebantur eorum quibus Ecclesia victum suppeditabat. Haec ultima interpretatio praeabilitate carere videtur. quia vix intelligitur viduam, ut Ecclesiae caritate frui posset, debuisse esse plus quam sexagenariam et unius viri uxorem. Ergo agitur de ordine quodam mulierum, quae, modo particulari, servitio Ecclesiae se dabant, aliis verbis de aliqua Actione Catholica.

Hac autem verba Apostoli ad Timotheum, discipulum eundemque Episcopum, ideo prae aliis adducere volui, quia non solum ostendit laicos tunc temporis adiutricem operam Apostolis praestitisse, sed innuit insuper horum laicorum adfuisse etiam tunc aliquam institutionem legibus propriis, ab Apostolis latis, rectam atque temperatam.

Multa alia documenta haud dubie ex fonte Sacrae Scripturae erui possunt, sed haec pauca sufficiunt, ut sibi quisque persuadeat Actionem Catholicam iam inveniri in grano illo sinapis quod Christus seminavit in agro suo, id est in orbe terrarum.

Animadvertant hoc omnes Sacerdotes atque studio Actionem Catholicam diligant, promoveant, foveant. Ostendant laicis tum obligationem qua, iuxta Summorum Pontificum verba, teneantur eam amplectandi, tum etiam bona ordinis supernaturalis quae inde consequuntur. Huic enim apostolatui operam praestantes, et ipsi laici aliquo modo Christi Sacerdotio fungentur in terris, et erunt insuper digni qui in caelis hymnum illum canant: “Dignus es Domine accipere librum et aperire signacula eius; quoniam occisus es et redemisti nos... et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes” (Apoc. 5, 9).
